



Caja
A-44

~~B-199 A-7~~

Saluo meliori iudicio. Propositiones, in quibus agitur de Dei providentia et praesentia, ac divinis ad peccatoris conversionem auxiliis, quae doctri prohibita sunt in Castella, sancti officij decreto, in libro cui titulus est, Concordia liberi arbitrij cum gratiae donis, continentur, aut eisdem ferè verbis, aut in eodem planè sensu: ut ex sequenti propositionum cum ipsius libri scriptis collatione, fiet manifestum.

1^a Propositio: Deus non omnes actus bonos morales providit in singulari, nec praedestinat, ut fierent hic et nunc: sed solum providit Deus illos determinandos à libero arbitrio natura

4^a Propositio est, Aligua bona fiunt in tempore à nobis, quae non sunt provisae à Deo.

5^a Propositio, Deus non providit, nec determinavit numerum omnium rerum singularium. V. g. boum, et foenicarum &c.

Hanc propositionum doctrinam docet libri autor. q. 22. ar. 4. pag. 379. Vbi ait: Illud igitur in primis nulla ratione admittendum est, effectus omnes, qui in hoc mundo eveniunt, provisos esse à Deo, ut ita fierent, preparasseque illis causas, ut ita evenirent, voluisseque voluntate, vel efficaci, vel absoluta, ut ex certis causis ita evenirent. Propositionum, inquam, doctrinam his verbis docet, nam qui asserit, non omnes effectus provisos esse à Deo, asserere videtur, non omnes actus bonos morales providisse, ut habetur in prima propositione. Et aliqua bona fieri à nobis, quae non sunt provisae, ut habetur in 4^a. nisi dixerit se loquutum de alijs effectibus, qui actus morales, aut bona opera non sunt: quod apparet non esse auctoris mentem, ex eiusdem doctrinae intentione, librique contextu, de actibus enim moralibus praecipuus sermo est, et de operibus bonis. Et cum effectus aliarum quoque rerum videatur comprehendisse, et hoc dicat non esse provisos à Deo, consequitur sensisse, numerum omnium rerum singularium non esse provisum, nec determinatum à Deo, ut habetur in 5^a propositione.

3^a Propositio est. Deus praesciit me loquutum, non quia praedestinavit, ut ego loquerer, sed quia ego eram loquutus, ideo praesciit me loquutum.

Huius propositionis doctrina habetur. q. 14. ar. 13. disput. 49. pag. 322. Vbi sic scribitur. Non ideo liberum arbitrium creatum factum esse hoc potius quam oppositum, quia Deus id praesciit, sed è contrario, ideo Deum id praesciisse, quia liberum arbitrium, pro sua innata libertate, id erat facturum. Et in margine scriptum est clarius: Liberum arbitrium creatum non ideo efficit hoc vel illud, quia Deus id praesciit, sed ideo Deus praesciit, quia ita liberum erat futurum. Et in q. 22. ar. 4. pag. 384. cum loqueretur de conciliatione inevitabilitatis effectuum liberorum, cum Dei providentia, caput eius rei esse dicitur: quia non ex eo quod Deus praesciret effectus, ita eventuros esse, ideo evenirent, sed è contrario, quia illi pro libertate arbitrij, ita sunt eventuri, Deus id praesciret. Inter propositionem et libri auctorem hoc tantum est discriminis, = quod autor libri in communi loquitur de quocunque liberi arbitrij opere, in-

in propositione de opere loquutionis sit sermo, ueluti particulari adducto exemplo, ad explicandum, quod generaliter in libro scriptum est.

Et cum autor prescientiam, quae coniunctum habet uelle, seu uoluntatem, excludit ab actibus moralibus, non enim credit (v. g.) me loqui, quia Deus presciuit me loquuturum, consequitur ut non credat me loqui, quia Deus me loqui uoluit, ut habetur in 2^a prop.
Et cum ita excludatur Deus ab operatione libera, ut eam per prescientiam non uelit, excluditur etiam, ut eius operationis causa non sit, nec terminet uoluntatem humanam, ad operandum, ut habetur in 6. et 7. prop. Quae bene perspecta ex auctoris sententia omnes simul propositiones facili opera, deduci possunt, cum uicē eandem doceant doctrinam.


10. Propositio, quae de diuino agit auxilio, haec est. Ex duobus hominibus iniustis, cum aequali auxilio Dei, unus agit poenitentiam, seu conuertitur, et iustificatur, et alter manet in peccato.


Hoc ipsum docet libri autor. q. 14. ar. 13. disputatione 12. pag. 52. Nam et si prius loquatur de conuersione hominis infidelis, de inde hoc etiam docet de conuersione peccatoris fidelis ad poenitentiam. Quare, inquit, fieri potest, ut duorum qui aequali auxilio interius à Deo uocantur, unus per libertate sui arbitrij conuertatur, et alter in infidelitate permaneat. Et in margine sic scriptum est. Vocatum aequali auxilio fieri potest, ut unus conuertatur, et alius non. Et cum hanc doctrinam fusius explicet in ijs quae sequuntur, tandem ait, pag. 54. idem quoque dicendum est, de conuersione peccatoris iam fidelis ad poenitentiam.


12. Propositio est. Auxilium, quod sufficiens dicitur, illud idem aliquando, ea ratione uocatur efficax, quod homo illo praeuente utens, cooperatur ad effectum: Unde stare potest, duos praeuenti homines, aequali gratiae auxilio, quorum alter nihil cooperetur, quia non uult, alter uero cooperetur, cuius operatio principaliter reducitur in gratiam.

Huius propositionis sententia scribitur in libes. 9. 14. ar. 13. disput. 38. pag. 232. Quo fit, inquit, ut divisio sufficientis auxilij, in efficacem, et inefficacem, nostra sententia ab effectu, qui simul ^{ab} arbitrij libertate pendet, sumatur: illudq; auxilium sufficiens, siue maius siue minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate conuertitur. Et paulo post, eandem doctrinam persequutus, in margine scripsit. Auxilium sufficiens efficax, aut inefficax esse, ab arbitrio eius, cui praestatur, pendet, et ex hac sententia consequitur, quod in .ii.^a propositione assertum est. Nam cum de auxiliis sufficienti loquatur, ait: nec ut tale auxilium recipiatur semper in homine, oportet quod sit efficax, secundum peculiarem effectum. Videtur enim his uerbis, auxilij efficientiam seu efficacitatem, non in Deum conferentem referri, sed in hominis eo bene utentis arbitrium. Et quidem hoc aliqua ratione, moderatius quam ab autore asseritur in propositione 12. cum dicatur; cooperatio cum auxiliis cooperantis principaliter reduci ad gratiam. quod tamen in ultima propositione minus bene docetur, cum dicitur, ad iustificationem impij, non esse maiorem praedeterminationem ex parte Dei, quam ex parte uoluntatis humanae.

Tam est similis omnium illarum propositionum doctrina, ei quae in libes docetur, ut eadem per se sus censenda uideatur, ex ea deniq; officina prodijse. —







5

Handwritten text in a cursive script, likely a title or name, which is significantly faded and obscured by dark stains and paper damage. The text is oriented vertically along the spine of the book.

No. Pair
A-HH